





10
Pra. 17 num. 2

IVS PROVOCATIONVM
PLVRIVM GERMANIAE POPVLORVM

V S Q V E

AD CAROLI M. AETATEM

~~~~~

P R A E S I D E

PHILIPPO ERNESTO BERTRAMIO

PROF. IVR. ORD. ET ORDINIS ICTORVM ASSESSORE

DIE XXVIII. OCTOBR. A. MDCCLXXV.

S I S T E T E T D E F E N D E T

A V C T O R

GABRIEL WILHELMVS GOTTLIEB  
KEFERSTEIN

M A G D E B V R G I C V S.

H A L A E

T Y P I S I C. H E N D E L I I



IVS PROVOGATIONVM

FRATVM GERMANICAE POTESTATVM

AD CREDITVM

AD CREDITVM

CHRISTIANO SALFELD

CHRISTIANO SALFELD

CHRISTIANO SALFELD

CHRISTIANO SALFELD

CHRISTIANO SALFELD

CHRISTIANO SALFELD





V I R O

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,

CONSVLTISSIMO

D O M I N O

CHRISTIANO SALFELD

CONSVLI CIVITATIS HALAE

E T

ASSESSORI SCABINATVS HALENSIS

LONGE CELEBERRIMO.



V I R O

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,

CONSULTISSIMO

D O M I N O

CHRISTIANO SALFELD

CONSULI CIVITATIS HALAE

ET

CAESARIS CABINATVS HALENSIS

LONGE FELICITARIO





V I R  
EXCELLENTISSIME, AMPLISSIME,  
CONSULTISSIME.

**T**VORVM in me beneficiorum  
magnitudinem, omnem sermonem  
omnemque gratiarum actionem supe-  
rare, optime mihi quidem conscius  
sum. Quod ego, cum semper iudi-  
casssem, tamen non sum veritus, TVVS  
enim in me amor audacior me fecit,  
quin

R I V  
EXCELLENTISSIME . AMPLISSIME  
CONSULTISSIME

quin opusculum, hoc, quamquam leue  
fit & tenue, quod nunc a me proficisci-  
tur, TIBI tamquam grati mei animi testi-  
monium, ex improviso traderem. Equi-  
dem nulla re magis laetor, quam opi-  
nionem amoris in me tui; cui nisi quan-  
tum possem responderem, hominem  
me non putarem. Debeo TIBI, Vir  
Excellentissime, tot iam nominibus,  
prorsus vt non videam, quomodo sol-  
uendo esse possim. Magna inde a  
pueritia vsque mea, in me contulisti  
be-



beneficia; in domum TVAM me rece-  
pisti, qua & humanitatem TVAM, sum-  
mamque liberalitatem expertus sum;  
nec Patronum, sed Patrem in me TE  
praebuisti, & patrem quidem libera-  
lissimum. Et si quid in me est iam fa-  
cultatis, aut erit aliquando, cum for-  
tunae mihiq; nihil debeam, omne  
TIBI debeo. Id etiam animum meum  
tam affecit, vt pietatis vis nunc erum-  
peret, & vt huic libello, summum or-  
namentum, NOMEN TVVM, appone-  
rem.


rem. Quare etiam id, quod iam pri-  
dem optavi, fortasse consequar; vt  
quam praeclare de TE sentiam, intelli-  
gas, & vt in posterum amicitia clien-  
telaque TVA dignum iudices

## TVI NOMINIS

cultorem obseruantissimum

G. W. G. KEFERSTEIN.





IVS PROVOCATIONVM  
PLVRIVM GERMANIAE POPVLORVM  
V S Q V E  
AD CAROLI MAGNI AETATEM.



Cum historia in genere, & historia iuris praefer-  
tim, optimum atque elegans sit iurispruden-  
tiae adiumentum; etiam non dubitavi, pri-  
mum meae diligentiae, qualecumque demum id est, speci-  
men, ex historia iuris specialis, sumere. Antea quidem ad

A

hi-

historiam appellationum, tam Romani, quam Germanici iuris, tradendam, animum meum induxeram; postea vero confilium, ut saepius mortalibus accidit, mutavi, cum intelligerem, quod iam CONRADI <sup>a)</sup> & BOEHMER, <sup>b)</sup> viri, iudicii atque eruditionis laude praestantissimi, hanc operam suscepissent, egregieque exsoluissent. Aliam igitur viam ingredi mihi necessarium videbatur. Ideoque illum campum, quem tenebris plenum, scopulisque inveni, scribendo expolire, conatus sum. Omnis igitur mea opera versabitur, in explicandis appellationibus, quibus gentes Germaniae diversae, diversis utebantur temporibus, usque ad Caroli aetatem, qui vulgo Magnus nominatur. Isti quidem homines, qui nihil, nisi quod ad panem victumque quotidianum comparandum, vile est, amant, me irrideant; sed his nec immerari, nec respondere lubet. Illi autem viri, qui solidioribus imbuti sunt cognitionibus, intelligunt, quod historia haec, tam ad statum publicum <sup>c)</sup> veterum nationum

CO-

- a) *Fran. Car. CONRADI*, Ius prouocationum ex antiquitate Romana erutum. Lipsiae 1723.
- b) *Georg. Lud. BOEHMER* de prouocationibus iuris Germanici. Halae 1733.
- c) Neminem esse puto, qui non mecum consentiat, quod doctrina de prouocationibus, partim ad ius publicum referenda sit, partim ad iurisprudentiam, quam nominant priuatam.



cognoscendum, utilis sit, quam etiam ad antiquas earum leges interpretandas, vtilissima.

Pauca tantum testimonia nobis restant de antiquissimis Germaniae gentibus; id tamen a TACITO atque CAESARE accepimus, quod virtutibus ac libertatis studio, omnes fere illius aevi gentes, praestiterint. Opinio illa, quod Germani rudes fuerint litterarum, nullis rationibus nullisque argumentis certis euinci potest; an vero legibus vsi fuerint scriptis, neque negare neque affirmare audeo. Variis utebantur magistratibus, quos sibi ipsis creabant. Regem vel Ducem qui quidem non infinita aut libera erat potestate, <sup>d)</sup> sed ad consensum mox procerum, mox totius populi adstrictus, sumebant. Eligebant in consiliis principes, <sup>e)</sup> qui iura per pagos vicosque reddebant; quibus certi <sup>f)</sup> ex populo addebantur, ad consilium auctoritatemque interponendam. De iis rebus, quarum penes plebem arbitrium erat, etiam apud principes,

A 2

si

<sup>d)</sup> TACITVS *de moribus Germ. Cap. VII.* nec regibus infinita aut libera erat potestas.

<sup>e)</sup> TACITVS *C. XII.* Eligunt in concilio principes, qui iura per pagos vicosque reddunt.

<sup>f)</sup> TACITVS *eodem Capite:* Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt.

si res ad salutem totius pagi spectaret, pertractari poterant. <sup>g)</sup>  
 Quid inde clarius? quam, quod a *plebis* arbitrio ad *Comites*  
 & *Principes*, licita fuerit prouocatio, & ab his, si *maiores*  
*erant res*, & praesertim *causae criminales*, ad *omnes* (i. e. ad  
 concilium). <sup>h)</sup>

Postquam antiquissimi Germaniae populi prouoca-  
 tiones, quasi praetereuntes, adspeximus, ad eas porius acce-  
 lero gentes, quarum leges nobis adhuc extant, quarumque  
 instituta propius nos tangunt. Formam enim earum re-  
 mpublicarum, aliquantulum immutatam inuenimus, tum  
 bellis internis, tum externis.

*Gens*

<sup>g)</sup> TACITVS *Cap. XI.* De minoribus rebus principes consultant, de  
 maioribus omnes; ita tamen vt ea quoque, quorum penes ple-  
 bem arbitrium est, apud principes pertractentur.

<sup>h)</sup> TACITVS *Cap. XII.* Licet apud concilium accusare quoque & di-  
 scrimen capitis intendere.

PLINIUS *L. VI. C. XXII.* nobis rempublicam in Asia describit,  
 quam Taprobanen nominat, quae in multis institutis cum Germa-  
 nia conuenire mihi quidem videtur. Taprobane, inquit, eligit  
 regem e populo, eique Rectores a populo dantur triginta. Nec  
 nisi plurium sententia quisquam capitis damnatur. Sic quoque  
 appellatio est apud populum.



*Gens Francorum* <sup>i)</sup> magna & potens semper fuit, eorumque leges, quae ad prouocationes pertinent primum inspiciamus. Quis nescit? quod antiquissima lex Francorum, cuius nempe memoria existat, sit *salica*. <sup>k)</sup> Seculo quinto forte in scripturam redacta est. Franci duo ab initio constituebant stemmata, quorum alterum *Ripuarii*, *Salii* alterum nominantur. Nos heic de *Saliis* loquimur, quorum primi *Duces* seu *Reges* vel incerti, vel penitus ignoti, vel multis fabulis sunt obfuscati. <sup>l)</sup> *Salii* diuersae conditionis, diuersos habuerunt magistratus. *Rex princeps* fuit, secundum ab eo tenuerunt locum *Comites*, quos *Grauiones* appellatos inuenimus, post *Comites Sagibarones*. Hi in rebus minoribus excercebant iurisdictionem, certo terrarum

A 3

tra-

2) *VOPISCVS* primum quidem in *vita Aueliani C. VII. & XXIII.* mentionem facit Francorum, qui Galliam sunt aggressi, ubi virtutis gloriam armis sibi compararunt; sed origo gentis multo antiquior, & ex libertatis studio *Claudii Ciuilis*, deriuanda. *TACITI Hist. L. IV. C. XVI.*

k) Ille qui plura legere cupit de *lege salica* euoluat *Conring.* de orig. iur. Germ. & *Praefationum HEINECCI* ad corp. iur. Germ. antiq. a. P. *Georgisch* edit. ubi ex instituto de ea lege singulari eruditione agitur. Vt alios taceam, qui de hac lege scripserunt.

l) *Pharamundum* enim fuisse Regem Francorum, vel ipsum auctorem *Legis Salicae*, vt vulgaris fert fabula, nulla probari potest ratione.



tractui praefuerunt, ab iisque ad Grauionem licebat *prouocatio*. Titulus 56. §. 4. Edit. Lindenbrog. Legis Salicae huius rei nos certos facit: *Sagibarones in singulis mallobergiis, i. e. plebs quae ad unum mallum conuenire solet, plus quam tres esse non debent, & si casu aliqua ante illos secundum Legem fuerit definita, ante grauionem remouere eam non licet.* Quid clarius inde esse potest? quam id, quod si a Sagibaronibus non ex legibus fuerit iudicatum, ad Grafionis iudicium trahi possit. Cuilibet Sagibaroni certi erant *assessores* adscripti, quos *Rathinburgios* nominant. De quibus videri potest Tit. 60. E. H. Legis Sal. *Si qui Rathinburgii legem voluerint dicere in mallobergio residentes cum causam inter duos discusserint, debet eis qui causam requirit dicere: dicite nobis Legem Salicam. Si illi tunc noluerint dicere, tunc iterum, qui causam requirit, dicit: Vos tangano, ut mihi & isto legem dicatis: bis aut tertio hoc debet facere. Si vero illi noluerint dicere, tunc qui causam repetit, debet dicere: ego Vobis tangano, usque quo mihi legem dicatis Salicam. Tunc septem de illis Rathinburgiis collocato sole IX. solid. culpabilis unusquisque iudicetur &c.* Ex hac itaque lege patet, septem fuisse assessores, simulque in aprico est, hoc etiam in casu ius partibus fuisse, ad Grauionem prouocare, alias enim Rathinburgiis liberum fuisset, iustitiam disceptantibus denegare. De ambitu limitibusque iurisdictionis Grafionum nullae plane exstant leges, sed quod rege inferior fuerit certum est. Con-



Concilio aequalis cum rege fuit potestas, quod ex multis colligere licet legibus, fuitque Concilium seu Concio populi vna cum rege praesente summa omnium instantia in causis grauiissimi momenti, nec non in pluribus casibus qui vitam necemque concernebant. Tit. 49. tantum probationis causa adferam: *Et postea ipsi cui creditum est omnia cum testibus collectis ista agere debet, & sic postea ante Regem aut in mallo legitimo, illi cui fortunam suam deputauerit reddere debet, & accipiat siffucam in mallo ipso.* Alio loco eiusdem tituli idem reprehendimus scriptum: *Ista omnia alii tres testes iurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo vel ante Regem &c.* Ex his itaque nobis facile est ad diiudicandum quod Francorum Reges nisi maiorem tamen aequalem habuerint cum concilio potestatem,

Reges Francorum magis magisque potestatem suam augere studebant. Episcopi <sup>m)</sup> maiorem nanciscebantur potestatem.

<sup>m)</sup> Iam aetate Chlotarii Episcopi potestatem suam eo prodixerant, vt ad eos absente Rege appellari possent. De hac re luculentissimum inuenimus testimonium in constitutione Chlotarii generali quae circa anum 560. data est, quam exhibet Georgisch p. 467.; in qua expresse Rex disposuit, vt ad Episcopos prouocari possit. Textus ita se habet: *Si iudex aliquem contra legem iniuste damnauerit, in nostri absentia ab Episcopis castigetur, vt quod perpere iudicauit, versatim melius discussione habita emendare procuret.*



testatem, adeoque audacia eorum se extendebat, vt ad omnes quaestiones cuiuscumque generis sint, decidendas, se aptos credere non erubescerent. Sed quis nescit & ferocitatem & superbiam illius aevi clericorum? Alius ergo appellationum modus, & fere nouus introducebatur. Ad Episcopos nempe absente Rege prouocari potuit. Sed infinita tamen potestate tum temporis non fuerunt Francorum Reges, Calendis Martii enim cum toto populo conueniebant. In his conciliis tum leges, quae totum populum concernebant, condebantur, tum etiam de maioribus iudicabatur rebus. Videatur Decretum Childeberti Regis a. 595. datum, quod ita se incipit: *Childebertus Rex Francorum vir inluster; cum in Dei nomine nos omnes Calendas Martias, de quascunque conditionibus vna cum nostris optimatibus pertractauimus; ad vnumquemque notitiam volumus peruenire.* Et heic mihi dignum obseruatu esse videtur, quod iam tum temporis certae res in prima instantia <sup>n)</sup> apud Episcopos pertractarentur. Ab

<sup>n)</sup> Causae enim matrimoniales, vt nominantur, apud Episcopos peragebantur. Huius rei testimonium inuenies in eadem constitutione, quam mox antea attuli in §. 2.: *De praeteritis vero coniunctionibus, quae incestae esse videntur per praedicationem Episcoporum iussimus emendari. Qui vero Episcopum suum noluerit audire & ex communicatus fuerit, perennem condemnationem apud Deum sustineat, & insuper de palatio nostro sit extraneus.*



Ab Episcopis in causis clericorum ciuilibus non nisi ad Regem potuit prouocari. Legimus id expresse in Edicto CHLOTARII II. in Concilio Parisiensi V. datum a. 615. §. 3.: *Si quis clericus quolibet honore munitus condempto Episcopo vel praetermissio, ad Principem aut ad potentiores quasque personas ambulare, vel sibi patrocinium elegerit, expetendum non recipiatur, praeter si pro venia videtur expetere, & sibi pro qualibet causa Principem <sup>o</sup> expetierit & cum ipsius principis epistola ad Episcopum suum fuerit reuersus excusatus recipiatur. Is qui ipsum post admonitionem pontificis sui retinere praesumpserit, sancta communione priuetur.* Causae clericorum criminales, saluis in mox allegando edicto exceptionibus determinatis, iudicibus relinquebantur secularibus, quasi ab iis vitam accepissent, ideoque ab his ea iterum priuari possent. Neque tamen soli iudicare potuerunt, sed concurrentibus Episcopis. Quod §. 4. eiusdem Edicti nos docet: *Vt nullus iudicium de quolibet ordine clericos de ciuilibus causis praeter criminalia negotia per se distingere aut damnare praesumat, nisi conuincitur manifestus: excepto Presbytero aut Diacono. Qui vero conuicti fuerint de crimine capitali iuxta canones distringantur & cum pontificibus examinentur.* In hoc ultimo casu confi-

tue-

o) Princeps hic vt mihi quidem videtur, iudex secularis est quem etiam Comitem appellatum inuenimus,

B



tuebatur iudicium vt vocant mixtum, iudicabaturque clericus non secundum leges seculares, sed secundum canones Conciliorum. Potestas autem clericorum in diem magis magisque crescebat. Adulationibus aliisque damnatis artificiis conglutinabant principum oculos. Pipino regnante neque in criminali causa, neque in ciuili ad iudicium publicum i. e. seculare trahi potuerunt, nisi iubente Episcopo. Quod reperimus in §. 18. synodi Verensis: *Vt nullus clericus ad iudicia laicorum publica veniat, nisi per iussionem Episcopi sui vel Abbatis iuxta canones Karthaginenses C. 9. ubi scriptum est. Qui relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis se purgare voluerit, etiamsi pro illo prolata fuerit sententia, locum suum amittat. Hoc in criminali iudicio, in ciuili vero perdat quod euicit, si locum suum obtinere voluerit; cui enim ad eligendos iudices vndique ecclesiae patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de vniuersa ecclesia male sentiendo de seculari iudicio postulat auxilium, cum priuatorum christianorum causas Apostolus ad ecclesiam deferri<sup>p)</sup> atque ibidem derminari praecipiat. Et maxime, ne in talibus causis inquietudinem domno Regi faciat. De quibuscumque tamen causis ad Regem potuit appellari, quod tum temporis reclamare sententiam, nominare solent. Vide §. 9. eiusdem synodi Vernens.: *Vt omnes faciant**

<sup>p)</sup> Quis non miretur calliditatem clericorum, qua potestatem & imperium Regi extorquere studebant.



ciant iustitiam tam publici quam ecclesiastici, & si aliquis homo ad palatium venerit pro sua causa & antea ad illum comitem non inuoluerit in mallo ante Rachenburgios & hoc sustinere noluerit, quod ipsi legitime iudicauerint, si pro istis ad palatium venerit, vapuletur. Et si maior persona est, Regis in arbitrio erit. Et si reclamauerint, quod legem eis non iudicassent, tunc licentiam habeant ad palatium venire, pro ipsa causa. Et si ipsos conuincere potuerint quod legem eis non iudicassent, secundum legem hoc emendare faciat. Et si comes & Rachenburgius eos conuincere potuerint, quod legem eis iudicassent, & ipsi hoc recipere noluerint contra ipsos emendare faciat. Excipiebantur vero causae in quibus clerici de seniore suo conquerebantur. Hoc enim in casu eis interdictum erat, ad palatium venire. Constitutio enim status ecclesiastici & subordinationis clericorum ad concilia committiaque pertinebat. Probatum illud ex §. 30. eiusdem synodi: *Similiter de ecclesiasticis si ad palatium venerint de eorum causa sibi reclamare, super eorum seniore si veniunt, vapulentur: nisi senior suus eos pro sua transmiserit.*

Sed satis id sit de Francis, cum nunc aetas Caroli M. incipiat, huc subisto, ne fines libelli mei transgrediar. Ad alios populos me conuerto. Primum *Ripuariorum* leges inspiciamus, & quid ibi de prouocationibus constitutum est,



more nostro proferamus. Multa quidem adhuc dubia super-  
 sunt, ubi, & quando hae leges conditae sint. De quibus  
 videri potest CONRING de orig. Iur. Germ. C. X. aliique  
 historiae Iuris Germanici scriptores. Cum autem nostra  
 non interfit in haec inquirere, aliis hanc prouinciam luben-  
 ter relinquimus. Prius, quam ad ipsas prouocationes veni-  
 mus, varios magistratus Ripuariorum describamus & quo-  
 modo sibi inuicem subordinati sint, demonstremus. *Rachin-*  
*burgii* <sup>q)</sup> erant *Assessores* in populi conuentu, quem *mallum*  
 nominant, qui sententiam ferre debuerunt. In conuentu  
 populi ipse praefuit *Comes* quem mox *Graphionem* <sup>r)</sup> mox  
 certo respectu *iudicem fiscalem* nominant. Post Comitem  
 fuerunt *Duces*, <sup>r)</sup> *patricii* & *Rex* ipse. Prima instantia erat  
 apud

q) Titulus 55. in Lege Ripuar. nobis hoc indicat: Si quis causam suam  
 prosequitur & *Rachinburgii* inter eos secundum legem Ripuario-  
 rum dicere noluerint, tunc ille in quem sententiam dixerint, di-  
 cat: Ego vos tangano vt mihi legem dicatis. (Tangano significat  
 prouoco vos & cito.)

r) Titulus 51. qui inscriptus est: *De eo qui Graphionem ad res alienas*  
*imitat*, ita se incipit: *Si quis iudicem fiscalem ad res alienas in-*  
*iusse tollendas* &c. Hic *Graphio* idem est ac iudex fiscalis. Titulus  
 53. *qui inscriptus*: *De eo qui Graphionem interfecerit*: se in-  
 cipit: *Si quis iudicem fiscalem quem comitem vocant, interfe-*  
*cerit*, &c.

s) Videatur tit. 50. L. Rip. *Si quis testes ad mallum ante Centena-*  
*rium*



apud Rachinburgios, quod nos §. 7. Tit. 32. L. Rip. docer:  
*Si autem mannitus fuerit (i. e. citatus) ad secundum mallum  
aut ad tertium, seu ad quartum, vel quintum usque ad se-  
xtum & venire discuterit, pro vnoquoque mallo, si ille qui eum  
mannit cum tribus Rachinburgiis in harabo (i. e. loco iudi-  
cii) coniurauerit, quod legitime mannitus fuerit, quindecim  
solidis culpabilis indicetur. Quod si res ante Rachinburgios  
expediri non poterat, tum ad comitem deuoluebatur res.  
Quod etiam verba §. 3. eiusd. Tit. indicare videntur: Quod  
si ad septimum mallum non venerit, tunc ille qui eum man-  
nit ante comitem cum septem Rachinburgiis in harabo iura-  
re debet, quod eum ad strudem legitimam ad mallatum ha-  
bet; & sic iudex fiscalis ad idomum illius accedere debet, &  
legitimam strudem exinde auferre, & ei tribuere, qui eum  
interpellauit, h. e. septem Rachinburgiis unicuique quindecim  
solidos & ei qui causam prosequitur quadragintaque. De-  
nique si ante Comitem res componi non posset, ad Regem  
veniebat. Videatur §. 4. eiusdem Tit.: Quod si ipsam stru-  
dem contradicere voluerit & ad ianuam suam cum sparta  
tracta accesserit & eam in porta suae in poste posuerit, tunc  
iudex fideiussores ei exigat, vt se ante Regem representet, &  
ibidem cum armis suis contra contrarium suum se studeat  
defensare. Quid inde clarius esse potest? quam id quod*

B 3

Ri-

*rium vel comitem seu ante Ducem, Patricium vel regem ne-  
cesse habuerit, vt donent testimonium, &c.*



Ripuarii iam iis temporibus tres instantias habuerint. Ducis autem ideo non fit mentio, quia Chlodouaeus, interfectis ducibus Ripuariorum ipse dux simul erat.

Ad *Baiuuarios* nunc accedo. Quamquam leges Baiuuariorum, quae nobis adhuc supersunt, a regibus Francorum conscriptae videntur, tamen quia ex eorum moribus desumptae sunt, optime nobis ostendere possunt, quibus, in prouocationibus sunt vsi rationibus. Baiuuarii victi quidem a Francis, sed tamen separatam quamdam constituebant rempublicam. Ab eorum *ducibus* ad *Francorum Reges* prouocare non licebat. *Dux* erat princeps, & nexu tantum feudali a Francorum Rege dependens. Res controuersae peragebantur *in concilio populi*, cui *Comites* in *comitatibus* praeerant, cuiusque Comiti iudex erat adiectus. Ita nos docet C. XV. Tit. 2. L. Baiuuari: *Vt placita fiant per Calendas, aut post quindecim dies si necesse est ad causas inquirendas, vt sit pax in prouincia & omnes liberi conueniant, constitutis diebus, vbi iudex ordinauerit, & nemo sit ausus contemnere venire ad placitum. Qui infra illum comitatum manent, siue Regis vassi, siue Ducis,*<sup>1)</sup> *omnes ad placitum.*

1) Hic etiam dicitur, quod *Duces* etiam habuerint *Vassos* & nullum sit discrimen ratione iudicii in causis non feudilibus, tam Regis quam Ducis Vassi. Eodem enim iudice iudicabantur.



*citum veniant. Comes vero secum habeat iudicem qui ibi constitutus est iudicare, & librum legis ut semper rectum iudicium iudicet de omni causa quae componenda sunt. Eas autem res quas Comes peragere non valebat, Dux perficiebat. Expressus textus nos certiores facit, quod Comes sub Duce fuerit. Cap. 5. Tit. 2. §. 4. L. B. Et si talis homo potens hoc fecerit, quem ille comes distringere non potest, tunc dicat duci suo, & dux illum distringat secundum Legem. Duci vero in iudicandis rebus controuersis, plena fuit potestas. Sine vlla amplius prouocatione, vita bonisque subditos potuit priuare: Vid. Tit. C. I. §. I. L. B. Si quis contra Ducem suum, quem Rex ordinauit in prouincia illa, aut populus sibi elegerit Ducem de morte eius consiliatus fuerit & exinde probatus negare non potest in Ducis sit potestate homo ille, & vita illius, & res eius insiscuntur in publico. In suam ipsius familiam Dux plenum habebat imperium. Filios exheredare atque in exilium mittere licebat. Huius rei testimonium nobis praebet Cap. X. Tit. 2. §. I. L. B. Si quis filius Ducis tam superbus vel stultus fuerit, ut patrem suum dehonestare voluerit, per consilium malignorum, vel per fortiam & regnum eius auferre ab eo, tum adhuc pater eius potest iudicio contendere, in exercitu ambulare, populum iudicare, equum viriliter ascendere, arma sua viuaciter baiulare, non est surdus, nec caecus in omnibus iussionem regis potest implere, sciat se ille filius, contra legem*

*fe*



fecisse & de hereditate patris sui se esse deiectum, & nihil amplius ad eum pertinere de facultatibus patris sui, & hoc in potestate regis vel patris sui erit ut exiliet eum si vult. Ex his quae a nobis tradita sunt, facile est intellectu quod *Baiuuariorum Duces* tam magna fuerint potestate, quae Regiae non multum cedit. Reges Francorum non pro lubitu eos potuerunt deicere; atque ex legibus antea a nobis prolati facile liquet, quod *fili in Ducatum succedissent*, si populus consentiret. Quod expresse nobis indicant haec verba: *Si quis contra Ducem suum quem Rex ordinauit in prouincia illa aut populus sibi elegerit Ducem &c.* Haec verba fortasse ita sunt explicanda, ut quaedam regiones ita Francis sint deuictae, ut statum populi fundamentalem mutarent, Ducesque ordinarent, ad illam regendam prouinciam; alias vero tantum tributarias sibi facerent, vel nexu feudali deuincerent, quibusque antiquam regendi formam relinquebant.

Ad *Alamannos* nunc venio, quorum in appellationibus instituta *Baiuuariis* similia inueniemus. Eosdem reprehendimus magistratus apud *Alamannos*, quos apud *Baiuuarios* iam vidimus. Comiti autem licebat, alteri negotia sua dare, qui *missus* Comitis nominabatur. Videatur Tit. 36. L. Alam. §. 1.: *Conuentus autem secundum consuetudinem*  
an.



antiquam fiat, in omni centena coram Comite aut misso & coram Centenario & §. 4. Si quis autem liber ad ipsum placitum neglexerit venire. Vel semetipsum non praesentauerit, aut Comiti aut Centenario, aut misso Comitum in placito &c. Dux autem erat supremus iudex, a quo non amplius potuit prouocari nam in anima Ducis a Deo nullum neglectum requirebatur; ut legitur in §. 6. Tit. 36. L. Alam.: Et si est talis persona, quam comes in placito vel Centenarius, vel missus Comitum disringere non potest, tunc eum Dux legitime disringat. plusque quaerat, Deo placere quam homini, ut nullum neglectum in anima Ducis a Deo requiratur. Alamanni, ut quidem omnes Germaniae gentes, postquam ad Ducem appellauerint adhuc ad iudicia diuina, imprimis ad arma vel ad Duellum prouocare potuerunt, ita ut nullum iudicium tam firmum esset, ut rumpi non possit. Hic modus describitur in Titulo 94. L. A. qui inscriptus est: DE EO QUI POST FINITAM ET EMENDATAM CAUSAM MALLARE PRAESUMSERIT: Si qui aliquem post finitam causam & emendatam mallare voluerit, post testes tractos & emendationem datam si hoc praesumserit tentare & se non per sacramenta vel per testes defensare potest, tunc per pugnam Duorum se defendat. Huic legi respondet art. 18. Spec. Sax. in Codice Lipsf. qui ita se habet: Drier hande recht behilden die Sachsen wider Karls Willen. Daz Swehsche Recht durch der wibe baz, unde daz andere swaz der Man

C

vor



vor Gerichte nicht. En tut wi wizzentlichez sie daz her  
 dez des mit sinen Unschult entget. Und man ez in nicht  
 verzagen mac. Daz drite ist daz, daz man eheim Urtheil  
 so recht vorme riche binnen Sachsen vindet. wil ez ein  
 Sachse schelden, und zubet erz an sine vordere Hant und  
 an die meisten meine. und er widervehet er daz Urtheil sel-  
 be sibende. wider ander siebene. swo die meisten meine ge-  
 sset, die hat daz Urtheil behalden. Sed de his prouocationi-  
 bus ad iudicia diuina earumque speciebus plenius agere,  
 angustia huius opelli vetat. Nunc vero multorum adhuc po-  
 pulorum leges nobis supersunt, quas facili negotio explica-  
 re possemus; cum autem, multae in Germania non sunt la-  
 tae <sup>u)</sup> & multae nihil plane de prouocationibus in se  
 continent, tuto eas praetereamus. Mox post Carolum M.,  
 tempora veniunt, de quibus cum Liiuo dici potest: *Labente*  
*deinde paulatim disciplina velut desidentes primo mores se-*  
*quetur animo: Deinde vt magis magisque lapsi sint, tum ire*  
*coeperint praecipites; donec ad haec tempora, quibus nec*  
*vitia nostra nec remedia pati possumus, peruentum est.* Postea  
 enim

<sup>u)</sup> Saxonum leges explicare possemus, sed tum temporis Saxones  
 nondum fuerunt sub Francorum potestate, qui demum Wite-  
 chindi M. temporibus sunt deuicti. Longobardorum, & Bur-  
 gundionum & Gothorum Leges in Germania nou sunt latae,  
 ideoque ad nostrum non pertinent scopum.





---

 PRAENOBLISSIMO AC DOCTISSIMO

## RESPONDENTI AVCTORI

S. P. D.

P R A E S E S.

**R**eddo TIBI opusculum TVVM, quod mihi obtulisti. Perle-  
 gi illud ac vix vnum alterumue addidi verbum. Haec non ex  
 more multorum Praesidum dicta sunt. Est enim plane TVVS la-  
 bor, nec quicquam ad me pertinet. Sentio quidem in plurimis  
 idem, sed non in omnibus eandem foueo opinionem. In hisce  
 ma-



materiis, quae ob documentorum defectum saepe luce carent, perfacile est, dissentire ab aliis. Gratulor TIBI de hocce specimine diligentiae & doctrinae TVAE, quod ut aliquando maiori apparatu ornatum denuo proferas, opto. Iacet historia vicissitudinum iurisdictionis Germanicae fere intacta. Omnes, qui TE novent, assiduam TVVM studium indefessumque, quod per aliquot annos nostra in Academia litteris humanioribus, in primis vero scientiae vniuersi iuris nauasti, satis cognitum atque perspectum habent. Addo morum elegantiam atque rectitudinem. Vtraque enim coniuncta esse debet. Gratulor ergo Patri tvo, Viro integerrimo de re publica bene merito, de filio tantae spei. Adscendas cathedram & ea quae scripsisti, masculae, uti quidem certissime confido, defendas. Prouidentia diuina diligentiam TVAM virtutemque eximiam mox praemiis ornet amplissimis, me vero amicitiae TVAE maximopere commendo. Scr. Halae Magd. d. XXII. Octobr. M D CC LXXV.



DVLCISSIMO SVO  
K E F F E R S T E I N

S. P. D.

CHRISTIANVS FRIDERICVS GLVCK

HALENSIS

O P P O N E N S.

*Quum animo tam amico atque sincero semper me profectus sis, vt, si quem maiori candore quaerere vellem, & temere agerem, & certe nullus esset, egone TE, academiae iam valedicentem ex amplexibus meis dimittere possem insalutatam? at non solum ille ipse animi quo fulges candor illa ipsa morum TVORVM elegantia fuit, quae TE mihi adeo commendauit, sed praecipue felix ingenium, ardor in addiscenda non tantum forensi sed & ea imprimis elegantioem quam nuncupant iurisprudentiam adeo me attraxerunt, vt quo familiarius vterer, TE haberem neminem.*

Cane peius & angue eos semper fugiendos putasti quibus sunt  
— — — — — vani  
Historici, vana ars critica, vana omnia demum

qui-



quique multo feliciorum in foro regnari posse temere sibi persuadent eum. Cui

Sat compendiolum, sat paruulus index,  
Curtae notitiae, per pauca vocabula iuris,  
Et notae quaedam normae, & generalia dicta,  
Non collecta libris, sed pene accepta per aures.

quam iis instructum artibus quibus Cujacii quibus Morillii alique ad tantam nominis famam peruenerunt, firmissime potius inhaesisti principio litteraturam omnium virtutum esse maximam. Sed vercor ne temere haec & aerae tuae captandae causa a me dicta cui videantur, testimonium itaque dissertationi tuae denuncio teste omni exceptioni sane maiori in qua quidem defendenda aliquam ex officio dissentientes prouinciam mihi etiam demandare voluisti. En! gloriam. En! honores. Qui te in cathedram ascensurum expectabunt, in quorum societatem venire me etiam passus es. Et solus ego sileam? Solus laetitiam susprimerem? Cum qui tantum te norunt, tecum laetentur omnes. Ecquis aequus rerum aestimator mihi id ignosceret? Sed non inuidio, gloria est enim iusta, variis lucubrationibus parata. Pergas qua duce gloria cepisti, annuatque deus piis tuis, immo & meis votis. Caeterum quo me hucusque profectus es amore, cum & imposterum velim contineres te etiam atque etiam rogo, certissime persuasus nunquam dulcissimam tui memoriam me fore obliteraturum. Vale. Dab. Halae d. XXV. Oct. MD CCLXXV.



C A N D I D A T O  
PRAENOBILISSIMO, ET DOCTISSIMO

AMICO HONORATISSIMO

S. P. D.

IOANNES IOSEPHVS SCHRAMM

NISSA - SILESIVS

O P P O N E N S.

*Quamprimum hanc almam Fridericianam accessi, primus  
eras Commilitonum meorum, qui me in suam suscepit amicitiam.  
Singulari semper familiaritate, & amore, dum TECUM vixi, me  
prosecutus es. Sunt itaque mihi amicitiae vincula, quibus ad-  
stricti sumus tam arcta, & sancta, ut ingrati animi proderet no-  
tas existimem, si suppeditata hac occasione gratissimae tamen no-  
strae coniunctionis oblitus esse videri malim. Laudum TVARVM  
profecto amplissimus mihi pateret campus, sed in eum excurrere  
singularis TVA modestia me detinet. Contigit mihi grata, & rara  
illa fors, amico uti, cuius ingenium praeclarae indolis cuius &  
integritatis, & praestantiae, & benevolentiae luculentissima sem-  
per expertus sum testimonia. Ego potissimum TVAM, non infu-  
catam sinceritatem perspectam habui. Interim abs TE rogo; ut  
amicitiae nostrae similitudine morum iunctae, atque constanter  
bucusque sine fuce, & falaciis inter nos conservatae, memor vi-  
uas, meque imposterum amare, vel saltem diligere non desinas.  
Vale. Dabam Halae, d. XXV. Octobr. M D CC LXXV.*




ULB Halle 3  
003 249 530



5b.








*Pra 17 num. 2*

10  
IVS PROVOCATIONVM 1785  
PLVRIVM GERMANIAE POPVLORVM

V S Q V E

AD CAROLI M. AETATEM



*P R A E S I D E*

PHILIPPO ERNESTO BERTRAMIO

PROF. IVR. ORD. ET ORDINIS ICTORVM ASSESSORE

DIE XXVIII. OCTOBR. A. MDCCLXXV.

SISTET ET DEFENDET

AVCTOR

GABRIEL WILHELMVS GOTTLIEB  
KEFERSTEIN

MAGDEBVRGICVS.

HALAE

TYPIS I. C. HENDELII



*P. 479*

*18*

*2*

